

ratissimus à Jacobo Rege in integrum Parlarmentaria autoritate restitutus, in quo mentis ardor ad virtutem & gloriam nobilitate sua dignissimus, & humanitate vera temperatus clarissime elucet, paternos honores recepit.

Præter castrum & Comites nihil memorabile habet Arundelia, nam Collegium quod ibi floruit à Comitibus extractum, distractis rediti-

bus, jam fatiscit. In Ecclesia tamen nonnulli sunt Comitum tumuli, sed ille pulcherrimus ex alabastro, in quo, medio choro jacet Thomas Comes, & Beatrix uxor ejus filia Ioannis Regis Lusitaniæ. Nec omittenda est hæc pulchre inaurata inscriptio in honorem Henrici *Fitz-Alan* ultimi ex hac stirpe Comitum hic posita, cum nonnullis placeat.

V I R T V T I E T H O N O R I S A C R V M .

MAGNANIMVS HEROS, CVIVS HIC CERNITVR EFFIGIES, CVIVSQVE HIC SVBTER SITA SVNT OSSA, HVIVS TERRITORII COMES FVIT: SVI GENERIS AB ALANI FILIO COGNOMINATVS, A MALATRAVERSO, CLVNENSI, ET OSWALDESTRENSI HONORIBVS EXIMIIS DOMINVS INSVPER AC BARO NVNCVPATVS: GARTERIANI ORDINIS EQVESTRIS SANE NOBILISSIMI SODALIS DVM VIXIT ANTIQVISSIMVS: ARVNDELIAE COMITIS GVILIELMI FILIVS VNICVS ET SVCCESOR, OMNIVMQVE VIRTVTVM PARTICEPS: QVI HENRICO OCTAVO: EDUARDO VI, MARIAE ET ELIZABETHAE ANGLIAE REGIBVS, A SECRETIS CONSILIIIS, VILLE QVOQVE CALESIAE PRÆFECTVRAM GESSIT, ET CVM HENRICVS REX BOLONIAM IN MORINIS OBSIDIONE CINXERAT, EXERCITVS SVI MARESCALLVS PRIMARIVS, DEINDE REGIS FVIT CAMERARIVS: EIVSQVE FILIO EDUARDO DVM CORONARETVR MARESCALLI REGNI OFFICIVM GEREBAT: EIQVE SICVT ANTEA PATRI CAMERARIVS FACTVS. REGNANTE VERO MARIA REGINA, CORONATIONIS SOLEMNI TEMPORE SVMMVS CONSTITVITVR CONSTAVLARIVS, DOMVSQVE REGIAE POSTMODVM PRÆFECTVS, AC CONSILII PRÆSES: SICVT ET ELIZABETHAE REGINAE, CVIVS SIMILITER HOSPITII SENESCALLVS FVIT.

ITA VIR ISTE GENERE CLARVS, PVBLICIS BENE FVNCTIS MAGISTRATIBVS CLARIOR, DOMI AC FORIS CLARISSIMVS: HONORE FLORENS, LABORE FRACTVS, ÆTATE CONFECTVS, POSTQVAM ÆTATIS SVÆ ANNUM LXVIII. ATTIGISSET, LONDINI XXV. DIE FEBRVARII, ANNO NOSTRÆ SALVTIS A CHRISTO M. D. LXXIX. PIE ET SVAVITER IN DOMINO OBDORMIVIT.

IOANNES LVMLEY BARO DE LVMLEY GÈNER PIENTISSIMVS, SVPREMÆ VOLVNTATIS SVÆ VINDEXT, SOCERO SVAVISIMO ET PATRONO OPTIMO MAGNIFICENTISSIME FVNERATO, NON MEMORIAE, QVAM IMMORTALEM SIBI VLTIFARIIS VIRTVTIBVS COMPARAVIT, SED CORPORIS MORTALIS ERGO, IN SPEM FOELICIS RESVRRECTIONIS RECONDITI: HANC ILLI EX PROPRIIS ARMATVRIS STATVAM EQVESTREM PRO MVNERE EXTREMO, VBERIBVS CVM LACHRYMIS DEVOTISSIME CONSECRAVIT.

Fluvius autem qui præterfluit è Septentrionali agri parte scatens, plurimis hinc inde rivulis increfcit, inter quos præcipuus est qui præterlabitur *Cowdrey* Vicecomitis *Montis-acuti* ædes splendidissimas, & ad alteram ripam *Midherst*, quæ *Bobunos* Dominos suos jactat, qui pro insignibus crucem cæruleam in aureo clypeo gestarunt, & ab Ingelrico de *Bobun* sub Henrico Primo floruerunt ad Henrici VII usque tempora, qui filiam & hæredem Ioannis *Bobuni* Davidi *Owen* Equiti aurato filio naturali *Oweni* Theodori cum opima hæreditate in uxorem dedit. Fuerunt hi *Bobuni*, ut obiter adnotem, propter obsoletam verbi antiquitatem, aliquandiu *Spigurnelli* Regis, id est, *Sigillatores Brevium* jure hæreditario; quod officium una cum *Serientia Capelle* Regiæ Edwardo Primo remisit Ioannes de *Bobun* filius Franconis, ut in Charta antiqua ea de re confecta legitur.

Bobuni de Midherst. Insignia Bobunorum.

Spigurnelli quid.

Pettworth

*Pettworth* inde cernitur, quam cum latifundiis *Britannia*.

Guilielmus de *Alvineio* Comes *Arundellæ* *Ioscelino* de *Lovanio* Brabanto *Adelizæ* reginæ fratri, filio juniori *Godfridi* Ducis *Brabantia* è stirpe *Caroli Magni* elargiebatur, cum *Agnetem* unicam filiam & hæredem *Perciorum* in uxorem duxisset. Ex quo tempore *Ioscelini* illius posterum (ascito sibi *Percii* nomine, ut alibi dicemus) tenuerunt. Familia sane antiqua & nobilissima, quæ multo minus interrupta majorum serie à *Carolo Magno* stemma ducit, quam qui tantopere ostentant *Lotharingia* Duces, & *Guifii*. *Ioscelinus* vero ille, ut in donatione ejus vidi, hoc usus est titulo, *Ioscelinus de Lovanio, frater Reginae Adelizæ, Castellanus de Arundell*.

Percii. Vide in fine Northumbriae.

Cedente ab *Aruni* ostio littore, juxta *Tering* sedet *Offingtons*, *Guilielmi Vest* Baronis *De-la-VVare* ædes. Hæc *VVestorum* nobilis & antiqua est familia, quæ nuptiis cum hæredibus *Cantelupi* de *Hempston*, & *Fitz-Reginald* filii *Herberti* aucta, etiam

Westorum familia.